

notesceret Ecclesie Leodiensi; quod cum probari non possit, imò nec atas istius Directorii notetur, nihil ex illo erui potest contra assertam conclusionem & ejus probationes; sed omnino probabile est, quod observat Fisen in opere inscripto: *Origo prima Festi Corporis Christi*, Ecclesiam S. Martini Officium S. Thomæ recepit, servatis tamen aut additis quibusdam

ex Officio Fr. Joannis, ut inde probaretur apud posteros, Officium Corporis Christi poësis fuisse in sua Ecclesia celebratum, quam ejus Festum solenne in tota Ecclesia ab Urbano IV. institueretur. A quibusdam aliis levioribus instantiis supersecedo, quia earum insufficientiam tandem ipsimet agnoverunt, qui opposerant.

DISSERTATIO III.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

D. Thom. Quæst. 74.

ARTICULUS I.

Utrum panis & vinum sint materia Sacramenti Eucharistiæ?

Cetera materiam hujus Sacramenti multipliciter erratum est. (Hic q. 74. art. 1. o.) Quantum ad panem; quidam, qui dicuntur Artotyritæ, ex Aug. l. de Hæres. c. 28. offerebant panem & casum in hoc Sacramento, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas. Quidam, scilicet Cataphyrgæ & Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, Eucharistiam suam conficere prohibentur; seu, ut refert Epiphanius. Hæres. 26. Infantem abortivum in mortario contundeant, cui diversa aromata admisceant, & ex quo delibabant digito, *Atque id perfectum esse Pascha existimabant.* Quidam, Gnostici scilicet, quos præ pudore tacet D. Thom. corpus Christi, teste eodem Epiphani. ibid. in pane semine humano consperso conficiebant. Quantum ad vinum; (Ibid.) multi solum aquam adhibebant: quidam sub specie sobrietatis, & hi dicebantur Hydroparastatæ, seu Aquarii: quidam eò quod vinum esse a malo principio crederent, ut Manichæi, Encratitæ, & Ebionitæ: quidam metu persecutionis, ne ex odore vini deprehenderentur esse Christiani, ex Cypriano Epist. 63. Alii pro vino lac adhibebant, ex Concilio Carthag. 337. Alii uvæ integras, ex Concilio Braacar. 674.

Dico 1. (Ib.) Panis & vinum sunt materia Sacramenti Eucharistiæ. Est de Fide decisa in Concil. Lat. c. Firmiter in Florent. in Decreto unionis; in Trid. sess. 13. in omnibus ferè capitulis. Concinit unanimes traditio utriusque Ecclesie Græcæ & Latine. Prob. ex Scriptura. (Ib.) Ea est materia Sacramenti Eucharistiæ, quam Christus in eo instituendo adhibuit; atqui Christus in hoc Sacramento instituendo adhibuit panem, & vinum: ergo. Min. constat ex quatuor Evangelistis, specialiter ex Matth. 26. ubi sic legitur: *Conantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Per calicem autem communi Scripturæ phrasi intelligitur vinum, sed & signanter exprimitur his verbis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

Suffragantur congruentiæ (Ibid.) 1. Sicut aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communitè fit in aqua; ita panis & vinum, quibus communis homines reficiuntur, convenienter assumuntur in hoc Sacramento ad usum spiritualis manducationis, seu convivii. 2. Effectus Eucharistiæ respectu totius Ecclesie est unio fidelium cum Christo & inter se in unum corpus mysticum, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus:* ergo convenienter ad materiam hujus Sacramenti assumuntur panis, qui conficitur ex diversis granis, & vinum, quod fluit ex diversis uvis.

Sed difficultas est: qui panis, & quod vinum sint materia hujus Sacramenti? Pro cujus resolutione

Dico 2. (Ibid. art. 3. o.) Solus panis triticeus est materia legitima Sacramenti Eucharistiæ. Prob. 1. ex Florent. in Decreto citato, ubi dicitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Necque dicitur cum Cajetano, Concilium assignare materiam principalem & magis certam, adeoque significare esse necessariam necessitate præcepti, non tamen Sacramenti: contra est enim, quod modo loquatur de pane, & vino pro materia hujus Sacramenti, ac de aqua pro materia Baptismi, & de christate pro materia Confirmationis. In his autem assignavit ma-

teriam, quæ est de necessitate Sacramenti. Item aqua est necessaria necessitate præcepti in hoc Sacramento, & tamen non dicit Concilium esse materiam Sacramenti.

Prob. 2. ex perpetua Traditione utriusque Ecclesie Græcæ & Latine. Prob. 3. ratione. (Ibid.) Materia legitima Sacramenti Corporis Christi est ille panis, quo homines communius utuntur in suis refectionibus; atqui inter alios panes communius homines utuntur pane triticeo, nam alii panes videtur introducti in hujus panis defectum: ergo. Min. patet. Prob. Maj. Ad usum Sacramentorum, ut jam dictum est, assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem usum venit, ut in Baptismo aqua ad ablutionem. Quia non est verisimile, Christum alio pane, quam usuali, eoque meliori, nempe triticeo, in tana solemnè Festo & esu Agni Paschalis usum fuisse, præsertim cum panes propositionis, qui erant figura hujus Sacramenti, confici deberent ex similia, Levit. 24. id est, ex flore farinæ triticeæ.

Dices 1. Omnis sanguis est ejusdem speciei, licet ex diversis cibis generetur: ergo similiter omnis panis est ejusdem speciei, licet ex diversis granis conficiatur. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, licet materia remota sanguinis sint diversi cibi, proxima tamen est una scilicet chylus, non autem omnis materia proxima panis est ejusdem speciei.

Dices 2. Quodlibet vinum est materia Consecrationis: ergo etiam quilibet panis. R. N. Conseq. In primis obstat Traditio Ecclesie, quæ stat pro quolibet vino de vite, non pro quolibet pane. Deinde omnia vina sunt ejusdem speciei essentialis, differunt autem accidentaliter tantum. At omnes panes ex granis diversæ speciei confecti non sunt ejusdem speciei. Tandem quodlibet vinum de vite est, & dicitur simpliciter vinum, & in usu communi venit, at non quilibet panis est, & dicitur simpliciter panis, nec in usu communi venit, sed solus panis triticeus.

Inst. In certis locis panis alius, quam triticeus, est in usu: ergo. R. D. Ant. Est in usu per accidens, & ex defectu panis triticeo, C. in usu simpliciter & absolute, N. Sic in certis Provinciis cerevisia aut pomaceum vinum est in usu per accidens ex defectu vini, non tamen est materia Consecrationis.

Urgebis. Posset contingere, quod omnes homines uterentur alio pane, quam triticeo: ergo tunc saltem panis triticeus non esset materia Consecrationis. R. N. Conseq. quia non ex usu, qui posset contingere, colligimus materiam Eucharistiæ, sed ex usu, qui vigeat tempore Christi.

Insistes. Possunt in formis Sacramentorum nri verbis significantibus in aliqua Provincia, licet nihil aut non idem significant in alia Provincia: ergo similiter de materia. R. N. Conseq. Disparitas est, quod vtrba valeant secundum sensum, & non secundum sonum vocis; cum autem sint signa ad placitum, diversa verba possunt habere eundem sensum. At, quod hæc materia sit vel non sit triticeus, non est ex placito hominum, sed ex natura rei.

Hinc inferes 1. invalidam fore consecrationem in pane ex fabis, pisis, castaneis; item ex hordeo, avena, millo, farre; quia hæc, licet sint species frumenti, differant tamen specie a tritico. Dubitatur de siligine & spelta. Auctor admittit siliginem, rejicit speltam. Si siligo strictè sumatur, prout sumitur a Plinio l. 18. c. 8. & ab Isidoro l. 17. Etymolog. c. 3. pro candidissima specie tritici, unde siligo quasi selectum, non est dubium, quin sit materia idonea consecrationis. At videtur, quod S. Thom.umat hic siliginem, prout sumit vulgus, scilicet pro secali, vulgo Seigle: Sic enim loquitur: (Ibid. ad 2.) *Generans generat sibi simile in specie. Fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generantis. Et ideo, si qua frumenta, que semine tritici generari possunt, sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo, ex tali*

tali frumento panis confectus potest esse materia hujus Sacramenti. Id autem negant nonnulli, inter quos Silvius; quia, inquit, subinde accidit, ut ex tritico in malis terris seminato oriatur etiam avena. Alii, inter quos Sieyaertius in Aphorism. de Sacram. p. 1. sect. 4. §. 2. n. 4. dicunt, siliginem seu secale in quibusdam terris, ut notum est in Brabantia, nasci passim ex tritico tanquam semine, & non tantum per quandam corruptionem, uti extraordinarie steriles avenæ, velut apes ex bove. Quantum ad speltam, eam S. Doctor (Ib.) contradicentibus quibusdam, rejicit; quia, inquit, similitudo in talibus magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei, sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quod canis & lupus sint propinque speciei, non autem ejusdem. Ex his concludit, siliginem, seu secale, & speltam esse materiam dubiam; ideoque non esse licitum in illa consecrare etiam in necessitate, nimirum vel quod homo moreretur sine Viatico, vel quod populus maneret sine Missa in die Festo; quia graviter est, quod Sacramentum exponatur periculo nullitatis propter materiam dubiam, quam quod infirmus moriatur sine Viatico, aut Populus maneat sine Missa; cum hæc non sint absolute necessaria ad salutem. Non satis attentè Franciscus Henno legit nostrum Gonetum hic disp. 3. art. 1. §. 2. dum illi affligit sententiam contrariam.

Inferes 2. (Ib. ad 2.) Quod, si sit tanta corruptio panis, quod solvatur species panis, sicut cum continuas solvitur, & sapor, color, aliave accidentia mutantur, ex tali materia non possit confici corpus Christi. Quando verò non est tanta corruptio, ut speciem solvat, sed aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqua immutatio saporis, ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens propter irreverentiam Sacramenti. Et qui amygdum est ex tritico corrupto, sicut acetum ex vino, non videtur, quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi; quamvis quidam contrarium dicunt.

Inferes 3. Panem, etsi triticeum, sed vel confectum cum aqua rosacea, lacte, aut quoquecumque alio liquore, qui non sit aqua naturalis, vel frimum in sartagine, sive sole torridum, sive massam farinæ crudam, non esse consecrabilem; quia non est panis usualis, ideoque specie morali differt, etsi forè non physica. Nec enim voluit Christus, ut bene advertit Sylvester ex Scoto, nos stringere in Sacramentis ad istas distinctiones subtilis de differentiis specificis physicis, sed voluit haberi talem panem triticeum, quo communis homines utuntur, & qualem ipse consecravit. Inferes 4. (Ibid. ad 3.) Quod, si fiat modica admixtio alterius frumenti ad longè majorem quantitatem tritici, aut alterius liquoris ad longè majorem quantitatem aquæ, remaneat materia Sacramenti, quia modica permixtio non solvit speciem, sed modicum absumentur a plurimo; secus, si foret magna permixtio, puta ex æquo, aut quasi ex æquo. Idem censet de mixtione alterius liquoris cum vino pro consecratione calicis.

Dico 3. (Ibid. art. 5. o.) Solum vinum de vite est materia idonea calicis. Constat, ut præcedens Conclusio, ex Concilio Florent. & ex perpetua Traditione Ecclesie. Insupèr prob. (Ib.) 1. ex institutione Christi, qui in vino vitis hoc Sacramentum instituit, ut patet ex eo, quod ipse dicit Matth. 26. circa institutionem hujus Sacramenti: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* 2. Ad materiam Sacramentorum, ut jam dictum est, assumitur id, quod propriè & communiter habet talem speciem; atqui propriè vinum dicitur, quod de vite sumitur, alii verò liquores vitis dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis: ergo.

Quædam argumenta, quæ de pane triticeo sunt proposita, possent etiam opponi de vino vitis, & eodem modo solvi. Insupèr objicitur. Vinum non ubique crescit. (Ibid. ad 2.) R. quod, licet non in omnibus terris nascitur triticum vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti.

Inst. Volteranus l. 7. Geographiæ refert, Innocentium VIII. permisisse Norvegis, ut absque vino consecrarent, quod ob immania frigora vinum in ea Regione importatum accessat. Item Fumus refert, Alexandrum VI. Innocentii Successorem ad eandem licentiam concedendam fuisse propensum. R. Volteranum in sua narratione deceptum fuisse falsis litteris & privilegiis Innocentii confectis a duobus sceleratis, qui ideo extremo supplicii penas luerunt. Vide Raynaldum ann. 1490. Baronium ad eundem annum, & alios in vitis Pontificum. Fallitur pariter Volteranus, dum dicit vinum non facile asservari in Norvegia, cum constet vinum longè minus accescere in frigidis, quam in calidis Regionibus. Quantum ad Alexandrum VI. Natalis Alexander de Euchar. art. 3. prop. 4. Reg. 3. dicit, Fumus hæc referre ex vagis, incertisque rumoribus, atque lateri summum Pontificem repletis discussa mutasse sententiam.

Hinc inferes 1. quodvis vinum de vite, sive album sive ru-

brum, sive Gallicum sive Hispanicum, esse materiam hujus Sacramenti; quia vina vitis, ut jam dictum est, non differunt nisi accidentaliter, aut si forè specie physica, ut quidam volunt, non tamen morali, nec in ordine ad communem usum mensæ. Insupèr Christus determinavit simpliciter & præcisè vinum de vite, quodlibet autem verum vinum est de vite. Intellige tamen etiam vinum miraculose productum, quale fuit in Cana Galilee; quia, licet non creverit ex vite, habet tamen substantiam veri vini de vite. Inferes 2. (Ib. ad 2.) E contra acetum non esse materiam consecrabilem, quia fit ex vino substantialiter corrupto. Potest tamen consecrari vinum accescens, sicut panis, qui est in via ad corruptionem, licet peccet consecrans, ut dictum est. Et de vino accescenti intelligendus est Innocentius l. 4. de officio Missæ c. 4. dum dicit, *sive vinum actum, quod appellatur acetum, in Sacrificium offeratur, Sacramentum conficitur.* Patet ex eo quod ante dixerat, quod *vitium vitis non maculat munditiam Sacramenti.* Supponit ergo, adhuc esse vinum.

Inferes 3. (Ibid. ad 3.) ex acresta, gallicè *Verjus*, quæ ex uvis immaturis exprimitur, non posse confici hoc Sacramentum; quia est tantum in via generationis, & ideo nondum habet speciem vini; secus de musto, seu vino recentè expresso, quod jam habet speciem vini. Prohibetur tamen, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur; quia hoc est indecens propter impuritatem musti, nisi in necessitate. Unde dicit Julius Papa de Consecr. d. 2. cap. *Clam omne crimen: Si necesse fuerit, botrus in calice exprimitur.* Inde tamen non sequitur, ipsum botrum, seu succum in eo inclusum, posse consecrari; quia vel non est vinum, vel non est ibi per modum potabilis. Nec est simile de vino incluso in dolio, quia vinum est in dolio, non ut pars ejus, sed ut aliquod totum in suo continente contentum; secus autem in uva, non est enim ibi ut aliquod totum in suo continente, sed est pars uvæ. Idem censendum videtur de vino totaliter pani imbibito; quia, licet remaneat vinum, non est tamen in eo statu per modum potus, sed potius cibi. Unde non dicitur vinum, sed potius panis aut ossa; foretque tunc magis materia consecrationis corporis, quam sanguinis.

Major est difficultas est de vino congelato, an sit materia apta consecrationi. De vino superficialiter congelato affirmant quidam, negant de vino totaliter congelato; quia, inquit, istud dicitur simpliciter glacies; primum autem dicitur vinum congelatum; sed sufficiens nobis videtur, & infundata hæc distinctio; superficies enim vini congelata nec est, nec dicitur minus glacies, quam totum vinum sit, & dicitur glacies, si totum foret congelatum. Quapropter inde sequitur tantum, quod vinum liquidum sub glacie sit quidem consecrabile, non verò ipsa superficies congelata. Relicta itaque hæc distinctio, multis probabiliter putant vinum sive superficialiter, sive integrè congelatum esse materiam consecrabilem, tum quia remanet substantialiter vinum, cujus signum est, quod liquefactum retinet eundem colorem, odorem, & saporem, licet non nihil attenuatum; tum quia Rubricæ Missalis jubent vinum post Consecrationem congelatum liquefieri, & deinde sumi ut verum Sacramentum; supponunt ergo vinum congelatum retinere corpus Christi; quod autem potest retinere, potest recipere, modo sit materia demonstrabilis (quod addo, quia si separaretur particula tam minuta, ut non foret sensu perceptibilis, in hoc casu equidem retineret corpus, aut sanguinem Christi, & tamen non posset primò consecrari; quia non esset demonstrabilis ad sensum per ly *Hoc vel Hic.*) Nec obstat, inquit, aquam congelatam non esse materiam aptam Baptismi; disparitas est enim, materiam proximam Baptismi esse ablutionem, quæ fieri non potest aqua congelata; sed Eucharistia non consistit in aliqua actione scilicet prolatione verborum, seu manducatione, sed in speciebus permanentibus in ordine ad potationem, seu manducationem; vinum autem congelatum est adhuc simpliciter potus, & de facili per liquefactionem proximè potabilis. His non obstantibus, multi negant vinum congelatum esse materiam validè consecrabilem; præsertim quia in eo statu non est magis per modum potabilis, quam vinum pani imbibitum, quod dicebamus modò non esse materiam consecrabilem. Quapropter pro præxi vinum congelatum debet censeri materia dubia, a cujus proinde consecratione omninò est abstinendum, sicut & ab omni alia, quæ vel auctoritatum, vel rationum oppositarum pondere censetur dubia.

ARTICULUS II.

Utrum hoc Sacramentum debeat confici in Azymo?

§. I. *De Antiquitate usque Azymi & fermentati, tam in Ecclesia Latina, quam Græca.*

S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. quæstione. 3. refert, Apostolos in primitiva Ecclesia celebrasse in azymo; quem morem, inquit, Romana Ecclesia ab Apostolis, qui ipsam fun-

darentur, accepit, ut Innocentius III. de Mysteriis Missæ l. 4. c. 4. in fine dicit (lorebat ann. 1216): sed postea ut dicit Leo Papa IX. quem citat Innocentius ibid. (lorebat autem Leo ann. 1054.) imminente Hæresi Elicionitarum circa ann. Christi 70. qui dicebant similes cum Evangelio legalia observanda, & hac ratione in azymo consecrabant. Sancti Patres, ne eis consentire viderentur, voluerunt ad tempus instinctu Spiritus S. ex fermentato confici Sacramentum; postea, cessante illa heresi, Ecclesia Romana ad pristinum morem rediit, ita præcipiente Alexandro I. circa ann. Christi 137. ut legitur in ejus vita apud Platina, item apud Basilium Hyeracensem Episcoporum in Ep. ad Græcos, & Radulphum Tangresem libr. de Canonum observantia, Propositione 24. Græci autem servare voluerunt morem ad tempus a Patribus introductum, ulterius addentes non posse confici nisi in fermentato. Hæc usque S. Doctor paucis addidit. Idem refertur Alex. Halensis, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, & veteres Scholastici.

II. Hanc narrationem ut falsam rejiciunt plerumque Recentiores propter silentium veterum. Et quantum ad Ecclesiam Græcam, contendunt usum fermentati semper in ea viguisse; idque colligunt ex Patribus Græcis, qui panem consecrandum vocant *communem & vitatum*. Excipiunt tamen Armonos & Maronitas, qui nec consecrant in azymo. Verum dato, quod per panem *communem & vitatum* Patres Græci intellexerint fermentatum, nihil efficit veritatis narrationis D. Thomæ & veterum Scholasticorum, si quidem Iudæi Patres forerint & locuti fuerint post exortam heresim Elicionitarum, quo tempore conceditur, apud Græcos usque nunc viguisse usum fermentati. Quantum ad Ecclesiam Latinam, Sirmundus in disquisitione de azymo contendit, usum fermentati primis 800. annis & amplius viguisse in Ecclesia, non solum Græca, sed etiam Latina: Azymorum autem usum in Ecclesia Latinam irrepsisse eo tempore, quod a Photiano Schismate ad Michaelem Cæsarium effluxit, id est, ab anno circiter 886. ad ann. 1052. Illi subscribit Cardinalis Benzoni l. 1. Rerum liturgicarum c. 23. cum hoc tamen discrimine, quod etiam usum azymi pro istis seculis admittat. Mabillonius Benedictinus in Prefatione Seculi 3. Benedictini & in Dissert. particulari de pane Eucharistico azymo & fermentato, & P. Christianus Lupus Aug. Tom. 3. Scholiorum in Decreta & Canones in Dissert. de Actis S. Leonis IX. c. 7. & seq. contendunt, usum azymorum fuisse perpetuum in Ecclesia Latina a temporibus Apostolorum. Alii tandem, inter quos Juenit hic Dissert. 4. q. 2. §. 5. volunt, utrumque panem indiscriminatum per sex priora secula a Latinis usurpatum fuisse, & azymum solum sensim sine sensu post 8. seculum remansisse. Varias opiniones indicasse sufficit; earum enim momenta probabilitatis terminos non transcendunt, nec aliquid certi statui potest, ut videre est apud Honor. Tournely hic art. 5.

§. II. Questio proposita resolvitur.

Dico 1. (Hæc art. 4. o.) In azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter conficitur, sunt verba Concilii Florent. in Decreto unionis. Et patet, quia utrobique remanet substantialiter panis triticeus & quidem usualis, licet enim azymo communicari non utamur, eo tamen utebantur communiter Iudæi durantibus festis Paschalibus, eoque Christus usus est, dum instituit Sacramentum, ut probavimus supra.

Dico 2. (Ib. art. 5. o.) In azymo, vel fermentato Sacerdotes ipsum Domini corpus conficere debent, unusquisque juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. Sunt iterum verba Concilii Florent. loco cit. Unde (Ibid.) sicut peccat Presbyter Latinus in Ecclesia Latina celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcos in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum, quem unusquisque servare debet. Et hanc obligationem ita gravem reputant plerumque Theologi, ut asserant, neque ob communicandum infirmum, neque ut Populus non maneat sine Missa in die Festo, sed in solo casu integrandi sacrificium licere hunc ritum pervertere.

Sed queritur, utrum Græcos apud Latinos possit consecrare in azymo: & vice versa, Latinus apud Græcos in fermentato? Respondent plerumque Auctores sub distinctione Si sit Ecclesia vel Capella destinata Græcis inter Latinos, & Latinis inter Græcos; unusquisque servare debet ritum suæ Ecclesiæ: ubi autem non est Ecclesia aut Capella Græcis destinata, potest Græcos vel servare ritum suæ Ecclesiæ, vel se conformare Ecclesiæ Latinæ; similiter Latinus in Græcia: juxta illud ex Ambrosio & Aug. desumptum: *Cum fuerit Roma, Romano crevit more, &c.* Hæc, inquam, est communiter Auctores.

Attamen Pius V. in Bulla, *Providentia Romani Pontificis* anno 1566. absque ulla distinctione prohibet Græcis celebrare more Latinorum, & Latinis more Græcorum; postquam enim revocavit omnes facultates antea concessas Græcis celebrandi

more Latino, & Latinis more Græco, subdit: *Quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis a divinis penis districtius inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præsertim uxorati, Latino more, & Latini Græcorum ritu, hujusmodi licentiarum & facultatum, aut alio quocumque prætextu, Missas & alia divina officia celebrare vel celebrari facere præsumant. Idem definit & innovat Benedictus XIV. feliciter regnans Constitut. super Ritibus Græcorum §. 6. Adde, quod hæc consuetudines non tam sint diversorum locorum particularium, quam generales utriusque Ecclesiæ, quas ideo unusquisque debet servare, quamdiu manet membrum illius: in eaque sententia Græcos esse, audivimus a Presbytero Græco. Utrum tamen istæ Constitutiones sint intelligentiæ de Græcis non solum iter agentibus apud Latinos, seu Latinis apud Græcos, sed etiam de iis Græcis, qui habent fixum domicilium apud Latinos, aut de Latinis apud Græcos, ubi nulla Ecclesia vel Capella ipsis est destinata, mihi dubium est; quia tunc videntur esse membra illius Ecclesiæ, in qua domicilium fixum habent, & illius ritibus adstringi.*

Dico 3. (Ibid.) Consuetudo Ecclesiæ Orientalis celebrantis in fermentato aliquibus rationibus innititur: atque est rationabilior consuetudo Ecclesiæ Occidentalis celebrantis in azymo. Prob. 1. Pars 1. (Ibid.) Græci celebrant in fermentato, quia Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. 2. In detestationem hæresis Nazæorum & Ebionitarum, qui legalia Evangelio miscabant. 3. Quia fermentum efficit panem sapidiorem, ideoque congruenter desinat charitatis fervorem, ac suavitatem in hoc Sacramento.

Prob. 2. pars. (Ibid.) Latini celebrant in azymo, 1. Propter institutionem Christi, qui hoc Sacramento insituit primam die azymorum, ut dictum est, quia die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat. 2. (Ibid.) Quia panis est proprie Sacramentum corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) magis, quam divinitatis ipsius. 3. (Ibid.) Quia hoc magis competit sinceritati fidei, quæ requiritur ad usum hujus Sacramenti, secundum illud 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur... in azymis sinceritatis & veritatis.*

Dices 1. Christus consecravit in fermentato; hoc enim Sacramentum instituit leg. 13. exeunte, cum nondum erat usus azymorum apud Judæos: ergo. R. N. Ant. & ejus Prohibitionem, ut patet ex Jdexod. art. 3. Sed & dato gratis, Christum anticipasse diem Legæ statutum pro coena Paschali, nihil obtinerent Græci; indubium est enim, quod in hæc hypothesis etiam anticipasset usum azymorum, sine quibus non poterat manuari Agnus Paschalis. Nec dici potest, ipsum post eam Agni Paschalis cum azymo resumens fermentatum; id enim gratis dicitur, neque est consentaneum moribus Judæorum, qui post eam Agni Paschalis septem dies continuos in azymo peragebant. Tandem, quamvis concederetur Græcis Christum consecrasse in fermentato, male inde inferrent non esse licitum consecrare in azymo: Sicut, si Christus consecrasset in vino albo; quia, sicut vinum sive rubrum, sive album, est substantialiter vinum, ita panis, sive fermentatus, sive azymus, est substantialiter panis.

Inst. Panis azymus non est verus panis: ergo. Prob. Ant. Panis significat pastam igne decoctam & fermento elevatam: vox enim Græca *Arτος*, quæ significat panem, derivatur ab altera voce Græca, quæ significat attollere & elevare: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Ant. Ad Probat. N. Conseq. Aliud enim est id, a quo nomen imponitur, aliud id, ad quod significandum imponitur. Quævis ergo vox Græca *Arτος* originem ducat ab altera voce elevationem significante, non sequitur, quod tantum significet pastam fermento elevatam, sed significat indiscriminatim apud ipsos Græcos & azymum & fermentatum. Unde Exod. 12. ubi dicitur: *Comeditis azymos panes*, habetur *Arτος*: & Lucas 24. refert, Christum comesturam cum discipulis in Emmaus, accepisse *Arton*, id est panem, qui erat certò azymus, quippe qui tunc solus reperiebatur apud Judæos, durantibus adhuc diebus azymorum.

Dices 2. legalia non sunt observanda tempore gratiæ; atque uti azymis fuit quædam exæronia legalis: ergo. R. D. Mia. (Ibid. ad 2.) Uti azymis in eod. Agni Paschalis fuit legalis exæronia, C. in Consecratione Eucharistiæ, N. Confidentes igitur Eucharistiam in azymo non intendunt exæronias Legi observare, sed conformare se institutioni Christi, & ideo non judicant: alioquin etiam celebrantes in fermentato judicarent, quia Iudæi panes primitiarum fermentatos offerbant.

Utrum aqua sit vino miscenda? Quo jure, & in qua quantitate?

Armeni 7. seculo, Aquaris e regione oppositi, vinum primum absque aqua consecrabant. Hunc errorem Lutherani sequentibus temporibus amplexi sunt: item & Calvinistæ mero vino utuntur in coena, utriusque pugillantes praxim contrariam Ecclesiæ Romanæ ut infundatam, non quòd absolute eam damnant, sed quòd hanc mixtionem ut rem adiphoram reputent.

Dico 1. (Hæc art. 7. o.) Congruit, ut Sacramentum Eucharistiæ conficiatur in vino aqua permixto. Prob. 1. (Ibid.) rationem institutionis. Probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramento insituit in vino aqua permixto, secundum morem illius terræ. Unde & Proverb. 9. dicitur: *Bibite vinum quod miscui vobis*. Idque tradunt S. Jacobus in sua liturgia, Basilus in sua, Alexander I. cap. In Sacramentum de Consecratione dist. 2. Julius I. Ibid. cap. *Cum omnes*. Irenæus l. 4. c. 57. Cyprianus Ep. 63. Aug. l. 4. de Doctr. Christ. c. 21. 2. Quia hoc convenit representationi Dominiæ Passionis. Unde dicit Alexander I. Ep. ad omnes Fideles Tom. 1. Concil. *Non debet in Calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque eo latere ejus in passione profusus legitur*. 3. Quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum; per aquam enim intelligitur in Scriptura populus, ut Apocal. 17. constat. His tres Doctoris Angelici congruentias confirmavit, & suas fecit Concil. Trid. sess. 22. c. 7.

Confirm. hæc Ecclesiæ Romanæ praxi Patrum traditione. Justinus Martyr. 2. seculo in 2. Apol. dicit, Fideles solitos fuisse participare de pane Eucharistiæ, & vino, & aqua Chrysost. in liturgia de Diacono dicit: *Deinde facit commixtionem in Calice mittens vinum, & aqua, &c.* S. Cyprianus in Ep. ad Cæciliam de Sacramento Domini Calicis, super illud Proverb. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis*, dicit: *Vinum mixtum declarat, id est, Calicem Domini aqua, & vino mixtum Prophecia voce denuntiat*. Concil. Carth. cui adfuit Aug. can. 22. sic habet: *Ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum*. Ambros. libr. 4. de Sacram. c. 4. *Vinum, & aqua in Calice mittitur, sed fit sanguis Consecratione verbi calicis*. Hinc autem disciplinam huserunt Patres ex Apostolis, & factio Christi, qui eo ritu consecravit, ut diximus.

Dico 2. (Ib. art. 7. o.) Permixtio aquæ non est de necessitate hujus Sacramenti, neque de Jure divino, sed tantum Ecclesiastico. Ita communiter cum Auctore. Prob. 1. pars. Materia Calicis sufficiens salvatur in solo vino, quod patet: tum quia Christus in institutione hujus Sacramenti solum vinum designavit Matth. 26. dicens *Non bibim amodo de hoc genimine vitis: tum quia Concilia assignando materiam hujus Sacramenti aliter loquuntur de vino, aliter de aqua; ut Florentinum non dicit vinum, & aquam, aut mixtum ex vino, aqua esse materiam Eucharistiæ; sed dicit: *Materiam Calicis esse vinum de vite, cui molitissima aqua misceri debet*: tum quia Catech. Romanus, postquam docuit, hanc mixtionem non posse prætermitti sine peccato mortali, addit: *Si aqua desit, perficitur Sacramentum*. Unde Rubricæ Missalis Tit. de defectu vini prohibent infundi aquam post Consecrationem, quando autem omnia sunt, si autem esset de necessitate Sacramenti, foret apponenda, & consecranda; sicut vinum foret apponendum, & consecrandum, si Sacerdos post verba Consecrationis deprehenderet vinum non fuisse positum, sed aquam. Confr. (Ibid.) Aqua non significat neque corpus, neque sanguinem Christi, quæ sunt huic Sacramento essentialia; sed effectum tantum in suscipiente, neque unionem ejus cum Christo; atque susceptio, seu usus; non est essentialis huic Sacramento: ergo.*

Prob. 2. & 3. pars. 1. Neque in Scriptura, neque in Patribus legitur divinum præceptum de miscenda vino aqua. 2. Concilia, cum ea de mixtione mentionem faciunt, præcepti tantum Ecclesiastici meminerunt: *Monet. S. Synodus*, inquit Trid. sess. 22. cap. 7. *præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*. Porro, si Christi fuisset præceptum, non tacuisset Concilium. Nec obstat, quòd quandoque a Patribus dicatur divinum mandatum; non enim intelligitur de mandato stricte divino, sed late pro facto Christi, ex quo tanquam ab exemplari Ecclesia mota est, ut idem præcipere.

Dices contra 1. partem, Christus consecravit in vino mixto aqua: ergo hæc mixtio est de necessitate Sacramenti, aut saltem de Jure divino. R. N. Conseq. Quia non omne, quod Theol. Billuart. Pars Tertia.

Christus fecit, faciendum est, sed quòd faciendum præcepit consecravit in azymo, consecravit coena peracta: neutrum tamen est, vel de necessitate Sacramenti, vel de Jure divino. Unde, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, essentialia Sacramento, & Sacrificio præcepit, non accidentalia.

Inst. Cyprianus, loquens de mixtione aquæ cum vino in Ep. citata ad Cæciliam, dicit: *Nam, si in Sacrificio, quòd Christus est, non nisi Christus sequendus est; utique id nos obstruit, & facere oportet, quòd Christus fecit, & quòd faciendum præcepit*: ergo. R. quòd, licet Cyprianus ea in Ep. paulo antè præfatam sententiam de mixtione aquæ cum vino agit, hæc tamen, quæ opponuntur, verba non ad mixtionem referuntur, sed ad vinum solum, quòd quidam Sacerdotes alioquin Catholici in Sacrificiis matutinis non offerbant, metuentes, ne odore vini Christiani deprehenderentur ab Infidelibus, uti jam diximus, contra quos late disputat Cyprianus in laudata Ep. Ita interpretatio patet ex verbis immediate præcedentibus. Hæc sunt: *Non est ergo, frater charissime, quòd aliquis existimet sequendam esse consuetudinem, si qui in præteritum in Calice Domini aquam solum offerendam putaverunt. Querendum est enim, ipsi quem sint secuti: nam si in Sacrificio, &c.* ut supra.

Repones. Cyprianus affirmat, aquam pari ratione necessariam esse Sacramento huic, quæ vinum; sic enim habet loco cit. *Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo, nec vinum solum potest*. Item docet, commixtionem aquæ cum vino eo modo requiri ad Eucharistiam, quo commixtio aquæ cum farina ad conficiendum panem: *Si verò Calix Domini, inquit, non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi miscetur, quomodo, nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adinatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum*: ergo. Respondet S. Thom. (Ibid. ad 1.) hanc paritatem ex Cypriano valere quòd necessitatem quidem, sed non quòd necessitatis modum, ita ut utrumque sit necesse, sed unum necessitate præcepti, aliud necessitate Sacramenti. Respondent alii, secundum Cyprianum, aquam cum vino mixtam esse necessariam, non ad validitatem Sacramenti, sed ad significationem mysterii, nempe unionis cum Christo. Quòd patet ex his verbis ibid. *Nam, si vinum, inquit, quis offerit, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo*. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi utrumque copulatur, tunc Sacramentum spirituale, & celeste perficitur: id est, significatio, & oblatio duplicis corporis Christi, naturalis scilicet, & mystici.

Dico 4. (Ibid. art. 8. o.) Aqua modicissima vino consecrando miscenda est. Ita Concilium Florent. in instructione Armenorum his verbis: *Vino antè consecrationem aqua modicissima admisceri solet*. Ratio etiam suffragatur: tum quia, si multum aquæ admisceretur, periculum esset, ne vinum corrumperetur, maxime si sit debile: tum etiam quia aqua, ut supra diximus, populum fidelem exhibet, vinum autem ipsum Christum. Decet verò, ut ipse Christus caput expressus representetur, quam populus.

Dices. Concilium Triburiense seculo 9. præcipit, ut sint duæ partes vini, tertia aquæ: ergo. R. Concilium non præcipere, ut tertia pars calicis aqua necessariò constet, sed ut non excedat.

Dices iterum. Probabile est, Christum majori quantitate aquæ vinum temperasse, tum sobrietatis ergo, tum ratione consuetudinis in illa Regione: ergo. R. id esse verum de calice potando in coena usuali, non Eucharistica.

Dico 5. Hoc præceptum obligat sub peccato mortali: quia, licet videatur res levis, secundum se tamen gravem habet significationem. Unde c. *Litteras* de Miss. celebrat. omittens voluntariè hanc mixtionem decernitur privandus officio, & beneficio. Porro hæc mixtio (Ib. ad 3.) debet fieri circa celebrationem Sacramenti, nec sufficeret, si fieret v. gr. in dolio, quia sic non sufficeret ad significationem mysterii.

Observanda est hic singularis Græcorum praxis, qui teste liturgia S. Chrysost. inscripta, & Balsamone in Resp. 18. ad Quæsitam Marci Patriarchæ Alexandrini, immediate antè communionem infundunt aquam fervidam calici consecrato; qua volunt significari divinitatem non abscississe a corpore Christi mortuo, cum ex eo fluxerunt sanguis, & aqua. Hanc disciplinam absque censura toleravit Eugenius IV. in Concilio Florent.

Utrum aqua Calici infusa immediatè convertatur in sanguinem Christi?

Abente seculo 12. magna animorum contentione disputatum fuit, utrum aqua calici infusa converteretur in sanguinem Christi? Xx

guinem? Gaufredus S. Bernardi Monachus hac de questione fuso scripsit ad Episcopum Cardinalem Albanensem. Quid Cardinalis Bironius ad ann. 1188. dicit, nihil aliud rescribere potuisse, quam quod creditur, & custodit semper S. R. Ecclesia, nimirum aquam simul, & vinum transubstantiari in sanguinem Christi.

Id tamen non videtur de fide, siquidem Innocentius III. cap. Cum Marthe de celebrat. Missarum, rescribens szechulo 17. ad Archiepiscopum Lugdunensem, recenset tres opiniones; quarum prima dicebat, aquam converti in aquam, quae fluxit ex latere Christi; secunda, eam converti in sanguinem; tertia, eam remanere aquam circumfusam accidentibus vini; & licet secundam ut probabilior eligat, alias tamen non damnat, sed recenset ut Catholicas. Similiter S. Thom. hic art. 8. o. eodem Innocentio; nec ab illo Pontifice ad huc usque tempora ulla apparet hac de re Ecclesiae definitio.

Verum, etsi id non videatur absolute de fide, attamen ut omnino certum tenendum est; tum quia SS. Patres Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. Cyprianus Ep. 63. Hieronymus in c. 14. Marci, Paschasius lib. de corp. & sang. Christi, Hildebertus, Algerus, S. Thom. & omnes fere Scholastici, qui post statum S. Doctoris scriperunt, sic censuerunt: tum quia opposita sententia, teste Gaufredo jam laudato, nullo fundamento nititur: tum tandem, quia particula demonstrativa in forma demonstrat totum, quod ex praepo est in calice.

Sed questio celebris est, utrum aqua immediate convertatur in sanguinem, an prius convertenda sit in vinum?

Dico. (Ib. art. 8. o.) Probabilis est, aquam non verti in sanguinem Christi, nisi prius conversa sit in vinum. Prob. 1. auctoritate Concilii Trid. Catech. Romani, Pontificalis Romani, & Innocentii III. Concilium Trid. sess. 1. can. 3. dicit, converti panem in corpus, & vinum in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; atqui, si aqua immediate verteretur in sanguinem, manerent etiam species aquae: ergo. Quod huc argumento respondent adversarii, diluatur infra Catech. Romanus c. 16. dicit, quod Ecclesiasticorum Scripturarum sententia, & iudicio aqua illa in vinum convertatur. Pontificalis Romanus p. 1. Tract. 10. c. 12. dicit: Aqua, quae in calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet. Innocentius III. c. Cum Marthe lib. 3. Decretal. tit. 41. dicit: Quaevis, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur: aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi duo praecipua fluxerint Sacramenta, Redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum, & aqua, quae commiscetur in calice, divina virtute mutantur: ut in hoc Sacramento plene sit veritas, & figura. Alii vero tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mista vino; licet Physici contrarium assererent, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. Praeterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem induit. Verum inter opiniones praedictas illa probabilior iudicatur, quae asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari. Hac potest opinio esse secunda, quam retulit, quae asserit aquam prius in vinum converti. Et quod hanc secundam opinionem non solum quoad conversionem aquae in sanguinem, sed etiam quoad conversionem aquae in vinum etiam approbet Pontifex, patet ex libris De altaris mysterio cap. 3. ubi ait: Quis ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum aquae infunditur? Sic etiam intellexit hunc Pontificem S. Thom. hic art. 8. o. ubi ait: Idem, sicut ipse (Innocentius) dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum, in sanguinem. Confr. Nulla alia ratio assignari potest, cur Ecclesia in Concil. Florent. infra citando tanta attentione curavit, ut modicissima aqua vino misceretur, in hoc corrigens Concilium Triburiense, nisi quia existimabat aquam prius in vinum esse convertendam, ut posset converti in sanguinem: ergo.

Respondent quidam, Concilium id praepoisse. 1. Ad significationem mysticam, seu quia, ut loquitur Concil. Tribur. Major est majestas Christi, significata per vinum, quam fragilitas populi, significata per aquam. 2. Ne solvantur species vini plerumque debilis. Sed contra, utique huic rationi satisfiet, si non modicissima, sed modica aqua miscetur; & tamen non dixit Concilium, modica, sed modicissima aqua.

Prob. 2. Ratione. Illud solum immediate convertitur in sanguinem Christi, quod est materia consecrationis Calicis, si quidem assumatur materia, ut consecratione fiat illa transubstantiatio; atqui solum vinum est materia consecrationis Calicis: ergo. Min. constat. 1. Ex perpetua traditione, sic enim semper huc usque creditum est. 2. Ex Concilio Florent. quod in decreto unionis dicit, materiam Calicis esse vinum de vite, cui aqua modicissima ante consecrationem admisceri debet: aper-

te ostendens hoc loquendi modo, solum vinum esse materiam Calicis, aquam autem solum pertinere ad aliquam ceremoniam: alias dixisset, materiam esse vinum, & aquam, sicut dixit in Confirmatione materiam esse oleum, & balsamum, non oleum, cui admisceri debet balsamum. 3. Evertendo fundamentum adversariorum. Aqua etiam ut conjuncta vino non est materia consecrationis: ergo solum vinum. Prob. Ant. Materia consecrationis est ex institutione Christi; atqui aqua jungitur vino non ex institutione Christi, sed ex praepo Ecclesiae tantum, ut dictum est, & fatentur adversarii: ergo.

Respondent 1. Distinguendo duplicem materiam, liberam, & necessariam; aquam dicunt esse materiam liberam, vinum necessariam: sicut, inquit, in Sacramento Penitentiae peccata venialia sunt materia libera, mortalia autem necessaria. Sed contra 1. Hec duplex materia in Eucharistia, una libera, altera necessaria, commentum est, huc usque in Ecclesia inauditum. 2. Pari ratione posset dici salem aqua mixtum esse materiam liberam Baptismi. 3. Etenim dicuntur peccata venialia materia libera Penitentiae, quia ea confitendi nullum est praepo, sed tamen sunt vera materia, ita ut ea sola possint esse materia: imò supposito quod quis velit confiteri, nec haberet nisi venialia, ea jam fierent materia necessaria; quae omnia nullo modo dici possunt de aqua respectu Eucharistiae. Tandem quaecumque materia consecrationis est ex institutione Christi; aqua autem miscenda vino non est ex institutione Christi.

Respondent 2. Materiam Calicis esse id, quod venit simpliciter nomine vini; tale autem est vinum modica aqua temperatum, etiamsi aqua non transierit in vinum; cum enim omnibus vini accidentibus sit circumfusa, moraliter, & non communi dicitur vinum. Unde, quando Patres, & Concilia dicunt vinum esse materiam Calicis, non excludunt vinum modica aqua dilutum, sed illud solum, quod non participat, nec nomen, nec rationem vini usualis. Similiter, dum Concil. Trid. dicit supra, remanere species panis, & vini, nomine specierum vini comprehendit etiam species aquae, ita speciebus vini permixtas, ut ab illis non distinguatur. Sed contra 1. Quando Patres, & Concilia explicant materiam Sacramentorum, v. gr. quod aqua sit materia Baptismi, oleum Extremz-unctionis, loquuntur in toto rigore: alius nihil certi habemus in hac re maximi momenti: ergo, dum dicunt vinum esse materiam Calicis, de vino in tota proprietate physica intelligendi sunt, & non de vino secundum morale, & extrinsecam denominationem. 2. Vinum gutta aquae rosaceae dilutum venit moraliter nomine vini, & tamen non convertitur ista gutta in sanguinem, nisi prius fuerit conversa in vinum. 3. Hac responsio non salvat, materiam Calicis esse ex sola institutione Christi; dicere enim Christum instituisse, ut id, quod Ecclesia misceret, foret materia, fingere est; & insuper pari ratione poterit dici, salem, aquae permixtum, ex institutione Ecclesiae, esse materiam Baptismi.

Prob. 3. ab inconvenienti. In casu, quo species aquae consecratae separarentur a speciebus vini, vel arte, sicut fieri posse contendunt adversarii, vel naturaliter, puta si corrumperentur, & accesserent species vini, & non aquae, sanguis Christi remaneret sub speciebus aquae, vel non? neutrum dici potest. Non primum, ut tenent Coninck, & Juenin. 1. Quia alia sola posset etiam consecrari; non enim est ratio, cur non posset sanguis sub illis speciebus poni, sub quibus consecrari potest. 2. Id contrariatur tum Concil. Trid. decernenti sess. 13. cap. 3. sub speciebus vini (omnis omnino aqua) sanguinem contineri: tum communi sensui; nemo est enim, qui credat sanguinem Christi sub solis aquae speciebus contineri, ibique adorandum esse. Non secundum, ut volunt alii. 1. Quia, si sub illis speciebus separatis non maneat sanguis Christi: ergo antea non erat, tandiu enim manet sanguis Christi, quamdiu durat incorrupta species, quarum substantia in Christi substantiam conversa est. 2. Si non maneat sanguis Christi sub illis speciebus aquae separatis; ergo manent illae extra Sacramentum absque ullo prorsus subjecto, quod inauditum est, nec intra novum miraculum fieri potest. Assignetur ergo, quo pacto, quove novo miraculo, nova altera substantia ibi reproductur, non enim illa sola separatio est productiva novae substantiae. Quidam Conclusionem confirmant ex nostra, & quorundam aliorum praxi, iuxta quam aqua calicis infunditur, antequam Missa inchoetur, ea, ut videtur, ratione, ut certius veritatem in vinum. Verum hanc praxim ea ratione niti, non constat: & quidam etiam ex nostris negant, voluntque hanc praxim ortum habere ex antiquis liturgiis, quibus praescribitur, ut omnia ad sacrificium pertinentia ante Missam praepararentur. Sic Graeci, qui iuxta SS. Basilii, & Chrysost. liturgias offerenda praeparant, aquam calicis infundunt.

Sol-

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. SS. Patres eodem prorsus modo loquuntur de aquae, ac vini consecratione, Transubstantiatione, adeoque supponunt aquam non minus, quam vinum immediate transubstantiari, licet id non explicent in terminis. Sic Damascenus l. 4. de fidei: Non potest panem suum ipsius corpus facere, & vinum, & aquam sanguinem? Ambros. l. 4. de Sacram. c. 4. Vinum cum aqua in Calicem missum fit sanguis consecrationis. Et infra: Ante verba Christi Calix est vini, & aquae plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. Paschas. Corb. l. 1. de corpore, & sanguine Dom. c. 1. in tom. 6. Bbli. Patrum, Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed quod convertatur in sanguinem. Just. Mart. Apolog. 2. pro Christianis: Ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quae cum gratiarum actione consecrata sunt. R. SS. Patres intelligendos esse de conversione mediata aquae in sanguinem, ita ut per ampliationem nomen aquam id, quod immediate ante erat aqua. Nec opponi potest, hanc nostram interpretationem esse contortam, si quidem similes locutiones passim usurpentur inter homines, & in Scripturis sacris. Sic communiter dicimus, Alimentum, puta panem, & vinum, converti in substantiam alii; licet tunc non sit amplius panis, aut vinum, sed prius debeat converti in chylum, deinde in sanguinem. Sic Exod. 7. dicitur: Deoravit virga Aaron virgas eorum, quod intelligendum est de virga conversa in colubrum. Sic Joann. 2. Architrachus aquam jam factam vinum appellat aquam. Item dicitur: Caei vident, id est, ii, qui fuerunt caeci. Nec valet, si opponas non posse proprie dici triticum verti in corpus Christi. Disparitas est enim, quod triticum non ponatur in Altari, sicut aqua in calice. Unde etiam aqua infusa vino in dolio non dicitur converti in sanguinem Christi.

Repones. Eodem prorsus modo SS. Patres loquuntur de conversione vini, & aquae; atqui vinum immediate convertitur in sanguinem: ergo & aqua. R. D. Maj. Eodem modo loquuntur de conversione vini, & aquae quoad ipsam conversionem praecise, C. quoad modum conversionis, N. Utrumque ergo convertitur, & in hoc est paritas; sed vinum immediate, aqua mediata. Id porro non explicaverunt Patres, quia ab hac questione Scholastica abstraxerunt.

Obj. 2. Christus totum, quod erat in calice, convertit in suum sanguinem; id enim omnino exigit veritas formae; atqui in hoc toto continebatur vinum, & aqua in propria natura: ergo. Prob. Min. Non est dubium, quin Christus juxta Regionis calicem consuetudinem aquam in magna satis copia admiscerit; atqui aqua copiose admixta in vinum converti non potuit ob temporis breviter: ergo. R. 1. N. Min. Ad probat. N. Maj. Licet enim Christus miscuerit aquam vino, secutus in hoc morem Palestinorum; quia tamen in presenti casu aliud quam ipsi intendebat, scilicet sacram significationem, tantum aquae adhibuit, quantum, ut rerum naturalium perfectissimum comprehensor, novit vi, & efficacia potentis, & generosi vini illius calicis Regionis facile, brevi tempore in ipsum vinum esse transmutandam. Unde totum, quod erat in calice, vocavit genuinum vitis. Matth. 26. R. 2. data Maj. N. Suppositum Min. nempe, tam breve tempus intercessisse inter mixtionem, & consecrationem calicis, 1. quia, ut constat ex Can. Missae, & ex Evangelistis, Christus postquam accepit calicem, ante ejus consecrationem Patri gratias egit, ac calicem benedixit, quae licet paucis verbis recitentur ab Evangelistis, non est tamen dubium, quin Christus pluribus verbis, aut prolixiori oratione mentali usus fuerit. 2. Quia, licet panem consecraverit cantantibus Discipulis Matth. 26. calicem tamen consecravit postquam canavit Luc. 22. Unde intercessit sufficiens mora ad mixtionem.

Obj. 3. Concilium Triburiense Can. 19. permittit, tertiam partem calicis esse aquam. Item Rubricae Missalis Romani praescribunt, ut, si Sacerdos immediate ante consecrationem recorderet se non apposuisse aquam, tunc illam infundat. Et quod si in ipsa sumptione calicis advertat non fuisse vinum, sed aquam, tunc infundat vinum, & aquam, moxque facta oblatione consecret; atqui in istis casibus non videtur aqua prius posse converti in vinum: ergo. R. ad 1. Concilium Triburiense fuisse Provinciale, neque a Sede Apostolica approbatum, neque quoad hoc usu receptum, imò reprobatum, & reformatum per Florentinum. Ad 2. & 3. R. quod, si in illis casibus aqua modicissima adhibeatur, ut praescribit Florentinum, facile possit brevissimo illo tempore transmutari in vinum. Quod si non transmutetur, manet aqua, nec convertitur in sanguinem.

Inferes: ergo in hoc uti modo non verificatur forma, quae significat totum contentum in calice; & populi exponuntur perit. Theol. Billuart Paris Tertius.

culo Idololatrie, nempe adorandi aquam. R. N. utramque illationem; quia forma calicis non significat totum specialiter, quod est in calice, sed totum consecrabile. Similiter adoratio populi, cum fide dirigatur, fertur solum ad sanguinem Christi. Sit enim v. gr. crinis, seu palea in calice, neque crinis, aut palea consecratur, neque ideo populus adorans calicem idololatriam committeret. Idem est, si in hostia esset palea, vel granum hordeaceum, vel crinis, aut quid simile.

Inst. Ideo S. Thom. rejicit opinionem, ab Innocentio III. relata, quae dicebat aquam infusam calici remanere aquam, & non converti in sanguinem Christi, quia sic non totum adoraretur veneratione laetiae; atqui juxta solutionem datam idem inconueniens incurrimus: ergo. R. N. Min. Inconueniens enim, quod opponit S. Thom. non in hoc praecise situm est, quod totum non esset adorandum laetiae, & sic esset periculum Idololatrie; sed in hoc, quod Ecclesia praeciperet infundi vino aquam numquam in sanguinem Christi convertendam, & tamen indirecte totum, quod est in calice, proponeret adorandum, quod est revera inconueniens. Sed, si fortuito contingat quod remaneat aqua non conversa in vinum, nec consequenter in sanguinem, tunc totum quod est in calice, proponitur adorandum; non ex intentione Ecclesiae, quae maxime sollicita est, ut modicissima aqua apponatur, quae facile transeat in vinum, & vinum in sanguinem, sed per accidens: sicut, si levis palea, vel pulvis caderet in calicem, aut Sacerdos ex malitia consecraret tantum medietatem hostiae, & tamen totum adorandum proponeret; in quo casu cum adoratio fidelium, quae fide dirigatur, ferretur in solum corpus, vel solum sanguinem Christi, non esset par inconueniens; quae enim sunt per accidens, non cadunt sub regula artis.

Inferes. Saltem in hoc casu Sacerdos, qui bibisset aquam, non foret jejunus, sicut non posset secundo consecrari, puta in Nativitate Christi. R. Sacerdotem fore in hoc casu jejunum, si non jejunio naturalis, saltem Canonico, id est, Ecclesiae reputat ipsum jejunum, quia non prohibet eum in hoc casu consecrari secundo: sicut pariter reputatur jejunus, si sumat hostiam, cui esset inserta levis palea, vel crinis, vel adhereret particula farinae, alteriusve materiae. An autem etiam foret jejunus, si cum sanguine sumeret muscam, possetque secundo consecrari? Negant quidam propter gravitatem materiae, Sacramento omnino extraneae; affirmant alii propter paritatem cum palea aliave materiae hostiae inserta, de quo infra.

Obj. 4. Si aqua non convertatur in sanguinem, nisi prius sit conversa in vinum, magis certum pendet a minus certo; atqui id admitti non potest in bono discursu: ergo. Prob. Maj. Certius est, totum, quod contineatur in calice post consecrationem, converti in sanguinem Christi, quam aquam prius converti in vinum, primum enim asserunt omnes Patres, & Theologi; secundum a pluribus negatur: ergo. R. D. Maj. Si, &c. magis certum, quod est tali vi illationis, pendet a minus certo, N. Si, &c. magis certum, quod non est tale vi illationis, sed aliunde, pendet a minus certo, C. Et disting. Min. ad sensum Maj. N. Conseq. Nihil obstat ergo in bono discursu consequens esse certius antecedente, non quidem vi illationis, & quatenus ab illo pendet, sed aliunde, puta quia vel est de fide, vel communiter receptum in Ecclesia, ut contingit in proposito. Sic v. gr. quod Christus existat sine substantia creata, pendet in sua veritate ab isto principio, quod substantia creata realiter distinguitur a natura; & tamen primum est certius secundum, non quidem vi illationis praecise, & quia ab illo dependet, sed aliunde, nempe quia est de fide.

Obj. 5. Aqua non potest converti naturaliter in vinum: ergo Prob. Ant. 1. Non potest explicari, quomodo fiat ista conversio. 2. Eam ut possibilem negant antiqui Naturalistae, & omnes tum Medici, tum Chymici. 3. Vinum est opus facultatis vitalis animae vitis: ergo non videtur magis posse produci extra vas, quam sanguis extra venas. 4. Aqua mixta vino ab ea separari potest etiam post longum tempus per immissionem medullae juncti, aut spongiam oleo infusam, ut experientia constat. 5. Si aqua in vinum verteretur, vinum mixtione aquae fieret fortius, sicut ignis fit vegetior, quando materia combustibilis in eum convertitur; atqui falsum Consequens, ut experientia constat: ergo. R. N. Ant. Ad 1. probationem. R. explicare modum, quo conversio aquae in vinum fiat, proprie pertinere ad physicos. Dicimus interim, hanc conversionem posse fieri 1. per divisionem aquae in minimas partes (ut patet ad oculum, sub quibus remanere non potest forma aquae, cui proinde succedit forma vini eam dividens, & undequaque circumdantis. 2. Quatenus vinum agit in aquam per calorem virtuales. Ad 2. R. Aristotelem citatum a D. Thom. quest. 77. art. 8. hanc conversionem agnoscere: ceteris autem, Medicis, & Chymicis opponimus Albertum Magnum, D. Thom. cum omnibus suis Discipulis Alensem, Bonaventuram, Scotum, & plures alios. Ad 3. R. N. Conseq. Plura enim, quae procedente a vivente, imò &

Xx 2

ipsa

ipsa vivencia plerumque etiam ex corruptione generantur, ut vermes, mures, ranæ, muscæ, &c. Nec mirum, si sanguis extrahatur venas non possit in se convertere aquam, cum tunc statim amittat suam fluiditatem, & alias qualitates necessarias ad hanc conversionem. Ad 4. R. Quod id, quod per artem Chymicam separatur a vino, non sit vera aqua elementaris, sed pars vini subtilior, aut debilior, quæ ideò dicitur aqueus humor, quia refert similitudinem aquæ in colore, & sapore, quod pater, quia ex vino, cui non fuit admixta aqua, ejusmodi humor potest similiter extrahi per artem Chymicam. Ad 5. N. Sequelam, & paritatem. Disparitas est, quod vis activa ignis, scilicet calor, sit ejus proprietates naturaliter, & necessariò ab ipso dimanans, per quam ideò faciliè reparare potest, quod ex resistentia contrarii perdidit. At vis activa in vino, sicut & in aliis mixtis, non est proprietates necessariò ab ipsis dimanans, sed sæpe absque mixtione, & resistentia contrarii perdidit, ut patet in ipso vino, quod, cum non accuratè includitur, vim suam activam perdit.

Obj. 6. S. Thom. in 4. d. 11. art. 4. dicit, aquam in Eucharistia non esse materiam principalem: ergo censet, esse minus principalem: sicut, qui de aliquo Professore Philosophiæ diceret non esse Professore principalem, intelligeret esse minus principalem. R. S. Thom. his verbis non velle, quod aqua sit propriè materia etiam minus principalis, sed quod non sit materia immediatè convertenda in sanguinem Christi, sed mediatè tantum; & ideò dicit, quod non sit materia principalis respectivè ad vinum, quod immediatè convertitur. Vel ut interpretatur Sylvius, S. Doctor non intelligit materiam principalem respectivè ad minus principalem, sed respectivè ad eam, quæ est ex institutione Christi; sicut ibid. quæstionè 3. dicit, aquam in Baptismo esse materiam principalem, non quod sit alia minus principalis, sed quia ea sola est instituta a Christo. Neque de mente D. Thom. facis est dubitare, cum non solum hic art. 8. o. sed etiam loco citato quæstionè 1. disertè dicat, quod aqua non sit materia hujus Sacramenti. Ad probationem autem juxta interpretationem Sylvii, R. cum ipso, quod quidem si quis de eo, qui est Professor Philosophiæ, diceret, quod non sit principalis Professor, intelligeretur, quod esset minus principalis; sed si id diceret de eo, qui non est Professor, non intelligeretur, quod esset minus principalis; datur enim medium inter principale, & minus principale, scilicet quod nullo modo est tale.

Obj. 7. Si aqua calici permixta prius convertatur in vinum, nulla fuisset disputatio sæculo 12. inter Theologos, num convertatur in sanguinem, cum omnes fateantur id totum, quod est vinum, veri in sanguinem: ergo. R. D. An. Si aqua Calici permixta prius convertatur in vinum, & id omnes admisissent, nulla fuisset disputatio, Transseat. Si id aliqui negassent, ut de facto negabant, & quidam nunc negant, N. Ant., & consequent.

ARTICULUS V.

Utrum una species possit consecrari sine altera?

Dico 1. (In 4. d. 11. q. 2. art. 1. q. 1. ad 4.) Una species validè consecratur sine altera. Patet; quia prolatis his verbis: *Hoc est corpus meum*, statim adest corpus Christi sub speciebus panis; locutio enim est vera, & aliunde efficit quod significat; ideoque consecrato pane, & non calice, proponitur adorandum corpus Christi.

Dico 2. Jure divino illicitum est consecrare unam speciem sine altera. Prob. 1. ex præcepto Christi, simul adjuncta declaratione Ecclesie in Concilio Trid. Christus per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit, ut hoc Sacramentum non conficiatur, nisi simul offeratur Deo Sacrificium incruentum; atqui stare non potest Sacrificium incruentum, proliè Christus instituit, sine consecratione utriusque speciei; ergo. Utraque præmissa est probanda. Prob. M. j. Ex declaratione Ecclesie in Concilio Trid. sess. 22. c. 1. ubi dicitur: *Quod Christus Dominus corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini obtulit Deo Patri, ac sub eandem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum; anathema sit;* atqui offerro corpus, & sanguinem suum; est enim oblatio facta in honorem Dei: ergo eisdem verbis, quibus Christus præcepit consecrationem, præcepit etiam oblationem Sacrificii. Prob. 1. Min. 1. De essentia hujus Sacrificii incruentum est, ut sanguis mysticè separatur a corpore, sicut

de ratione Sacrificii cruenti Crucis, cujus est representatio, fuit, ut sanguis realitè separaretur a corpore; atqui hæc separatio mystica fieri non potest, nisi quatenus vi verborum corpus tantum ponitur sub specie panis, & sanguis tantum sub specie vini; si enim solus panis consecraretur, sanguis esset cum corpore per concomitantiam, & sic nulla fieret separatio: ergo. Prob. 2. eadem prima Min. Hoc Sacrificium incruentum est secundum ordinem Melchisedech, juxta Apost. Hebr. 6. & Conc. Trid. loco citato; atqui Melchisedech obtulit panem, & vinum: ergo.

Prob. 2. Sacramentum Eucharistiæ est institutum per modum convivii spiritualis; atqui ad convivium requiritur necessariò cibus, & potus: ergo. Neque obstat, quod una species possit sumi sine altera, quia essentia hujus Sacramenti non consistit in usu sumentium, sed in consecratione totius materie. Unde patet, quod Eucharistia, tam in ratione Sacramenti, quam Sacrificii, ex sua institutione, & præcepto Christi requirat utriusque materie consecrationem.

Dico 3. Summus Pontifex dispensare non potest, ut in aliquo casu Sacerdos licitè consecret unam tantum speciem. Sequitur ex precedenti; quia Pontifex utpotè inferior non potest dispensare in præcepto Christi superioris, maxime quando præceptum illud est absolutè, & simpliciter a Deo, nec dependet a facto humano, ut dicam in sol. Obj. quæ adhuc magis, si pertineat ad integritatem Sacramenti, proliè Consecratio utriusque speciei pertinet ad integritatem Eucharistiæ, quæ instituta est per modum convivii spiritualis, ut dictum est. Unde Concilium Trid. sess. 21. c. 2. declarat, equidem esse in Ecclesia potestatem, ut in Sacramentorum disputatione statueret, vel mutaret, quæ suscipiuntur utilitati, seu Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expediret, *Salva tamen eorum substantia*. Ad substantiam autem convivii, & Sacrificii, Passionis Christi representativi, pertinet utriusque speciei Consecratio, ut probatum est.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 2. Conclusionem. Christus in Castello Emmaus consecravit panem, ut sentire videtur Aug. lib. de consensu Evang. c. 25; atqui tunc non consecravimus vinum, cum ad fractionem panis agnitus illic evenerit ab oculis Discipulorum: ergo. R. 1. Incertum est, an verè Christus tunc panem consecraverit; neque id asserit Augustinus citatus, sed dicit tantum fuisse panem benedictum, qui habebat vim illuminandi, quam habet Eucharistia: neque Discipuli, qui de tarditate ad credendum redarguebantur, videbantur sat dispositi ad Sacramentum recipiendum. 2. Pariter incertum est, an Christus tunc vinum non consecraverit; id enim certò colligi non potest ex silentio Evangelistarum, non enim scriptis mandarunt omnia, quæ Jesus fecit, Joann. ultimo. 3. Esto, Christum in Emmaus panem, & solum panem consecrasse, nihil inde inferri potest contra Conclusionem; id enim fecit Christus ex plenitudine potestatis excellentiæ, ut Sacramentorum, & Legis Auctor.

Obj. 2. In sola consecratione panis salvatur ratio Sacrificii: ergo corripit fundamentalis nostra ratio. Prob. Ant. In sola consecratione panis reperitur quedam oblatio rei sensibilis cum immutatione: ergo. R. D. Ant. In sola consecratione panis salvatur ratio Sacrificii, ut sic, Transseat Ant. ratio Sacrificii ut instituti a Christo, & Passionis memorativi, N. Ant. Ad hoc enim requiritur, quod corpus vi verborum ponatur separatim a sanguine, & sanguis a corpore, sicut in passione fuerunt realitè separata; quod fieri non potest sine consecratione utriusque speciei.

Inst. In sola consecratione panis habetur Sacrificium representativum Sacrificii cruenti crucis: ergo. Prob. Ant. Sacrificium cruentum crucis non consistit in separatione sanguinis a corpore, sed in separatione anime a corpore; atqui ista separatio representatur in sola consecratione panis, in qua vi verborum solum corpus ponitur sub speciebus panis sine anima, quamvis adsit per concomitantiam: ergo. R. N. Ant. Ad Probant. N. Ant. Sacrificium enim crucis non includit solum mortem, sed etiam causam mortis, scilicet effusionem sanguinis, & separationem ejus a corpore.

Subsumes; atqui in sola consecratione panis significatur separatio corporis a sanguine: ergo. Probatur Ant. In consecratione panis vi verborum ponitur corpus sine sanguine: ergo in sola consecratione panis vi verborum significatur separatio corporis a sanguine. R. N. Ant. Ad Probant. D. In sola consecratione panis ponitur vi verborum corpus sine sanguine, præter, & formalitè vi verborum solus consecrator panis, N. adjuncta consecratione Calicis, C. Si enim dicam præter: *Hoc est corpus meum*, non significatur formalitè cor-

pus meum esse separatim a sanguine, bene verò cum addo, designando vinum: *Hic est sanguis meus*; aperit enim tunc significatur vi verborum meum corpus ponit seorsim a sanguine vi verborum. Cæterum ad utramque instantiam potest adhiberi prima responsio, scilicet, dato, salvari rationem Sacrificii ut sic, vel etiam Sacrificii aliquidè representativi passionis, non tamen Sacrificii, quale ipse Christus instituit in consecratione duplicis materie.

Obj. 3. Una species licitè sumitur sine alia, tum à Laicis, ut patet ex usu, tum à celebrantibus, ut patet in recentè ordinatis celebrantibus cum Episcopo: ergo potest etiam licitè una sine altera consecrari. R. N. Conseq. (Hic q. 80. art. 12. ad 2.) Et quantum ad Laicos, jam dictum est, quod hoc Sacramentum non consistat in usu, sed in consecratione materie. Unde perfectio ejus non est æstimanda ex usu communicantium, modò celebrans utramque speciem consecret & sumat. Quantum ad recentè ordinatos hi consecrant per modum unius cum Episcopo, qui est principalis celebrans, imò quasi solus celebrans; quia ordinati referunt suam intentionem ad verba Episcopi, ut per illa fiat Consecratio quando ipse finit, non quando ipsi finiant; unde sufficit, si solus Episcopus utramque speciem sumat.

Obj. 4. Contra 3. Conclusionem. Sicut Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita dixit: *Bibite ex eo omnes*; atqui tamèn Ecclesia eximit Laicos a sumptione Calicis: ergo potest paritè eximere Sacerdotes a consecratione utriusque speciei. R. N. Conseq. Quia Tò Omnes dirigebatur ad solos Apostolos, non autem ad omnes Fideles. Patet; his enim dixit Christus: *Bibite*, &c. quibus dixit: *Hoc facite*, &c. Testatur autem Concilium Trid. ut vidimus, universam Ecclesiam semper intellexisse Christum hæc ultima verba direxisse Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus.

Obj. 5. Ecclesia dispensat in voto; atqui obligatio voti est Juris naturalis & divini: ergo id potest etiam in consecratione duplicis speciei. R. cum Joanne a S. Th. D. Min. Obligatio voti est Juris naturalis & divini absolutè & simpliciter, N. ex suppositione facti humani, C. Ideòque N. Conseq. & paritatem. Explicatur. Aliquid duplici modo potest esse Juris divini 1. modo absolutè & simpliciter, quatenus ipse Deus independetè a facto aliquo humano per seipsum imponit aliquod præceptum, ejusmodi modum determinat. 2. ex suppositione, quatenus voluntas humana disponit materiam; quæ adposita & manente, obligat Jus divinum & naturale ad ejus adimpletionem, v. gr. posita Lege per voluntatem humanam, Jure naturali & divino obligamur illi obedire. Similiter, posito & stante voto per voluntatem humanam, tenetur, qui vovit, Jure naturali & divino illud adimplere. Porro in his, quæ sunt Juris divini primo modo, Ecclesia non potest dispensare; quia non potest inferior directè & per se dispensare in præcepto superioris, nisi ex commissione, quam non constat datam fuisse a Christo, in his præsertim, quæ præcepit circa substantiam & integritatem Sacramentorum. At in his, quæ sunt Juris divini secundo modo, potest dispensare Ecclesia; quia tunc non dispensat in Jure divino vel naturali, sed solum agit circa illud factum humanum, quod requiritur & supponitur tanquam conditio, ut Jus divinum vel naturale obliget: v. gr. Lex humana præcipit jejunium tali die; stante illa Lege, dicitur Jus naturale, ut observetur, quia Jus naturale est obedire superiori; sed quia Lex illa processit a potestate & voluntate creata, quæ non potuit omnes casus providere, in quibus non expediret talem Legem observari, manet potestas humana ad dispensandum in illa, declarando se noluisse obligare in tali casu; quæ dispensatione posita non dicitur amplius Jus naturale eam esse observandam. Similiter in nostro casu; votum est Lex quedam particularis, quam promittens sibi imponit, & per promissionem se obligat Deo. Equidem stante illa promissione sine dispensatione Jus naturale & divinum dicitur esse adimplendum; sed sicut superior in Lege & de sancta potest dispensare, & declarare se noluisse obligare in tali casu, quia hæmpè non potuit providere omnes casus, in quibus non expediret talem Legem observari, ita similiter potest in voto, quod est quedam Lex particularis sui inferioris, qui etiam non potuit omnia providere. Hoc totum indicat S. Th. in verbis (2. 2. q. 88. art. 10. ad 2.) *Sicut ex Jure naturali & præcepto divino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eisdem obedire Superiori Legi vel mandato. Et tamen, cum dispensatur in aliqua Lege humana, non fit, ut Legi humane non obediat, quod est contra Legem naturalem & mandatum Dei; sed fit, ut hoc, quod erat Lex, non sit Lex, in hoc casu. Ita etiam auctoritate Superioris dispensantis fit, ut hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu non esse congruam materiam voti. Et idè cum Prelatus Ecclesie dispensat in voto, non dispensat in præcepto Juris naturalis vel divini; sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deli-*

berationis humana, quæ non potuit omnia circumspicere.

Neque obstat, si dicas per dispensationem non tolli votum, adeoque remanere obligationem. In hoc enim differt dispensatio ab irritatione, quod hæc tollat votum, non ista. R. per dispensationem remanere quidem votum quoad ejus obligationem radicalem, non autem quoad formalem & executivam, sed suspenditur pro hoc casu per dispensationem. Fiat paritas in Lege humana, in qua fit dispensatio. Eodem quidam solvunt, quod obiciatur de Matrimonio rato, in quo dispensat Ecclesia antè consummationem, quia est tantum contractus ortus ex voluntate humana: licet alii velint, quod in hoc non dispensetur Jure Ecclesiastico, sed divino, seu auctoritate Christi dispensantis in casu Professionis Religiosæ. Ne tamèn indè inferas, etiam dispensari posse post consummationem: id enim esset in præjudicium ipsius matrimonii, perpetuitatis ejus, & significationis sacramentalis jam consummate; præter præjudicium, quod indè vel conjugi alteri, vel proli eveniret. Sed de hoc alibi.

Obj. 6. Ex variis congruentiis aut necessitatibus. 1. Ex inopia vini, quod servari non potest in frigidissimis Regionibus, absque eo quod statim congeletur, aut acestat. Unde Volaterranus, l. 7. Geographiæ scribit *Norvegia Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum, sine vino Calicem consecrare; quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acestat.* 2. Si instaret mors alicujus infirmi, nec haberetur vinum ad consecrandum. 3. Si post consecrationem panis adverterat Sacerdos vinum esse venenatum, nec aliud adsit, aut vergat aliud periculum mortis, si vinum consecret: videtur enim in his casibus sufficiens ratio, ut consecratur panis sine vino: ergo. R. ad 1. nullam esse Regionem, in qua servari non possit vinum, cum sit modò passim in usu mensæ apud omnes nationes: narrationem Volaterrani ut falsam rejicimus Art. 1. hujus Dissert. Conclusionè 3. vide; & eo magis, quod dicat Pontificem concessisse consecrari Calicem sine vino: concessit ergo consecrari Calicem vacuum, quod ridiculum est; aut fortè Calicem cum aqua sola, quod est error Aquariorum, jam tempore Cypriani reprobatus. Ad 2. dico, infirmum in hoc casu non teneri ad communicandum, & aliunde hoc Sacramento re susceptum non est simpliciter necessarium ad salutem. Ad 3. R. tunc posse consecrari solum panem, non ex dispensatione, de qua est quæstio, sed ex impossibilitate morali & impedimento. Casus autem impossibilis est extrà legem; nec ceditur præceptum Christi obligare cum vitæ aperto discrimine.

ARTICULUS VI.

Utrum materia consecranda debeat esse præsens Ministro, determinata in individuo & sub certa quantitate.

Dico 1. Materia consecranda debet esse moralitè præsens consecranti; quia forma utens pronomine demonstrativo *Hoc* & *Hic* id necessariò exigit, alias foret falsa. Qualis autem præsentia requiritur, ut materia censeatur moralitè præsens vix certò definitur potest: unde fit, consecrationem ex parte præsentis esse quandoquæ dubiam. Cæterum pro Regula generali dicimus, illam materiam censi moralitè præsentem, quæ more & usu hominum, seu Judio prudentis viri, talitè est exposita, ut pronomine demonstrativo *Hoc* & *Hic* designari possit. Hinc inferes, materiam in suo tegente vel continente ordinario etiam clauso, validè, licet illicitè, consecrari, ut hostias in pixide, panes in canistro, vinum in dolio seu calice tectis: quia usu communi venit, ut continens & contentum demonstrantur per modum unius pronomine *Hoc*; sicut dicimus de pecunia in crumena, hoc est argentum, de vino in poculo clauso, vel lagena, hoc est vinum. Nec refert, quod infans in utero matris non possit baptizari: quia baptizandus debet esse natus, & aqua physicè ablui; ad materiam autem consecrationis sufficit, quod sit ita præsens, ut possit demonstrari pronomine *Hoc*, ad quod sufficit præsentia moralis. Nulla verò erit consecratio, si interponatur corpus per modum dividentis aut separantis: ut si hostia existat post parietem retrò altare, à tergo Sacerdotis, sub mappa, sub pede calicis, cusino, &c. quia tunc non censetur ita præsens, ut possit designari pronomine *Hoc*.

Sed quid, si hostia à tergo posita digito teneatur, aut designetur, seu aversa facie aspiciatur? Quamvis nobis probabilius sit eam validè consecrari; attentà tamen opinionum diversitate, dubia foret consecratio: similiter, si essent in T. bernaculo clauso, vel sub corporali. Quanta verò propinquitas requiritur ad præsentiam moralem? Hæc certò definiti non potest. Quidam volunt, eam stare intra latitudinem se distantiæ 20. passuum, alii 30. alii 40. admittunt. Sed, ut prius dixi, id Judio prudentum est reliquendum, attentis usu hominum,

